

AMONITIONES RDI. ABBATIS ANTVERPIENSIS AD RELIGIOSOS SUOS IN ARTICULOS DIGESTAE

(Fol. 205 r°). Quia regularis ac monastica disciplina (vigente temporum istorum turbulentorum malitia, totaliter exulavit et vel quasi ad nihilum (proh dolor) est redacta in grave populi scandalum et periculum animarum, et quia nobis ex officio incumbit ut huic malo huiusmodi abusibus et periculis de opportuno remedio providere cogamur et debeamus : hinc est quod curis angimur continuis assiduaque meditatione pulsamur ut ea in monasterio nostro non solum instituamus, imo potius instituta promulgemus, per quorum observantiam omnes religiosi nobis immediate subditi ad trium votorum essentialium nempe Obedientie Paupertatis et Castiatis custodiam et vere discipline monastice observantiam promptiores et alacriores reddantur ipsisque regni celestis reseretur et pateat aditus.

Imprimis ut commode divinum officium ab omnibus debite persolvatur, summo mane et tempestive surgant Religiosi ad matutinas tam Canonicas quam de Domina persolvendas sine alterius remissione. A quibus nullus se absentabit, etiam celebraturus missam matutinalem quam in tenebris celebrare de cetero non erit necesse quo tempore fere caret auctore : sed medio intervallo, ut interim sese ad eam dicendam preparet, tempestive satis tempore Prime ea incipi poterit. Salve si quando est dicenda, post horum octavam dici poterit.

Horae vero diei (licet hactenus, maxime feriatis diebus lecte fuerint) a Prima usque ad Completorium inculsive singulis diebus, non solum festivis verumetiam feriatis, cantentur per notas cum eadem vel quasi facilitate persolvi possunt.

Hora et tempore capitulari martyrologium et alia in medio Capituli ante pulpitum (ut olim) persolventur. Et textus Regule in septem capita distinguatur, sic ut singulis diebus, incipiendo a die Dominico legatur capitulum unum : nam semel in septimana integre legi debet ne per oblivionem aliquid negligatur.

Et quia a fundatione Ordinis semper usitatum fuit quod singulis feriis sextis ante decantationem hore prime omnes religiosi simul in Capitulo comparebant ad accipiendam disciplinam Ordinis : ita idem de cetero observabunt omnes Religiosi.

Silentium temporibus et locis in statutis expressis observari (fol. 205 v°) precipimus, maxime autem in ecclesia : in qua obambulationes et confabulationes hactenus introductas et usitatas omnino interdicimus.

Et quia omnes Religiosi in solempni professione stabilitatem in loco voverunt : ideo nullus de cetero presumet claustrum exire vel ad abbatiam vel ad aliquam eius partem venire (nisi causa prandendi, cœnandi et calefaciendi) sine expressa venia Abbatis : ac ibidem conventualiter ac regulariter vivant ; quod omnibus conventualibus et iisdem cohabitantibus Pastoribus in virtute sancte obediencie preceptum est. Si qui vero sint Pastores qui longiori licentia corrupti hoc facere recusaverint (nam iisdem legibus volo omnes obstrictos tam pastores quam conventuales) pro prima correctione a mensa communi arceantur nec aliquid eis seorsim administretur iuxta illud Apostoli : Abscindantur qui vos conturbant. Nam sensim tales sic abscindendos existimat, qui in hac Monasterii necessitate noxia pastoralis libertate uti volunt.

Sub pœna excommunicationis inhibitum est omnibus Religiosis ne feminas, cuiuscumque conditionis fuerint, intra septa monasterii adducant, quod observatum volumus.

Nulli Religiosorum extra monasterium permittetur exitus nisi solidam et seriam habeant occasionem. Eo minus nullus de cetero motu et ausu proprio sine speciali licentia abbatis audeat monasterium exire quacumque ex causa, sub pœna arbitraria ipsis infractoribus infligenda.

Decretum est quod in mensa communi tractabuntur Religiosi frugaliter et honeste, quantum presens tenuitas et temporis penuria patitur, contenti semper iis que ipsis secundum arbitrium Abbatis proponuntur sine murmure : (Cum scriptum est cap. 3, dist. 3, statutorum : Si quis vero pro victu vel vestitu vel alia re murmuraverit, tres correctiones in Capitulo accipere tenebitur et tres dies in pane et aqua ieiunet : et quadraginta diebus ab illo genere cibi vel potus abstinebit de quo vel pro quo murmuraverit : nisi de huiusmodi a prelato circa aliquem misericorditer fuerit dispensatum) cui predictæ refectioni omnes Religiosi interesse tenebuntur. Si qui vero sunt qui se ab ordinaria refectioe absentarunt (absque abbatis licentia speciali) non eis portio (nec cibi nec potus) detur (f. 206 r^o) : nec servetur in aliam horam, sed in sequentem usque refectionem ieiunent.

Nullus etiam de cetero aliquem secularem pro refectioe in communi mensa presumat adducere, multominus in loco claustrali : in quo plane omnem computationem et commessiones quotidianas et damnosas sive in claustro sive extra interdiciamus extra horam prandii vel cene, que hactenus per corruptam licentiam et usum cuiuslibet voluntatis usitata fuerunt. Cum dicat Regula : Extra horam

prandii nemo aliquid alimentorum sumat nisi cum egrotat. Si quis vero aliter facere presumpserit et attentaverit, penis subiaceat re-fractariis debitis.

Quod vero ad hospitalitatem attinet parentum religiosorum, secundum quod per Reverendissimum D. Premonstratensem et Capitulum generale definitum est, idipsum remittitur prudentie Rectorum Abbatum. Hoc unum addentes ne sepius quam bis in anno venient, ne monasterio plus sint oneri quam oportet.

Et quia decretum est quod omni tempore refectionis continua lectio haberetur, nisi aliquando de singulari Rectoris consensu colloquium de licitis et honestis permittatur; verum quia semper ab omni memoria observatum fuit continuum silentium tempore piscium, ideo de cetero sine intermissione aliqua aut dispensatione feriis quartis, sextis, sabbatinis necnon ieiuniorum tam in prandio quam in cena continuum silentium observabitur.

Ienunia Ordinis et Ecclesie secundum ordinis statuta observentur: et solo pane et bono haustu cerevisie sint fratres in collatione contenti. De cetero vero, que hactenus ex speciali gratia data fuit gelta cerevisie melioris in collatione, eius loco dabitur de cetero in prandiis ieiuniorum sesquigelta loco vini: ita quod communis cerevisia de cetero in collationibus ut olim erunt contenti. Hoc adiecto quod de cetero (ut ex antiquo) incipietur collatio hora sexta; sedebuntque in mensa sub continuo silentio; et tempore opportuno surgent ab accubitu et dicto "Sit nomen Domini benedictum" omnes simul et unanimiter (f. 206 v^o) absque ulla mora et alicuius tergiversatione ibunt ad ecclesiam ut more solito Completorium persolvatur. Quo cantato quilibet se ad proprium cubiculum conferet ibidemque sese continebit quasi in dormitorio esset.

Quia Proprietatis vitium in Religioso paupertatem professo detestabile est et filium constituit eterne damnationis, ideo preceptum est ut omnes secundum regule prescriptum in communi et ex communi vivant, nullamque pecuniam sive ab amicis datam sive aliunde acquisitam sibi asservent aut in proprios usus expendant: sed omnem pecuniam superiori suo tradant in necessarios usus erogandam.

Quare etiam per Capitulum Generale definitum est: Quia Religiosi nostri ordinis sue professionis immemores manus sacrilegas in bona prelatorum decedentium iniiciunt neque simul verentur huiusmodi bona inter se dividentes ac sibi appropriantes contra iuris dispositionem agere: ne igitur tantum scelus inauditum ac horrendum remaneat inultum, capitulum generale statuit quod fratres qui de cetero bona prelatorum decedentium sibi appropriare presump-

serint, sententiam excommunicationis ipso facto incurrent, a qua non poterunt absolvi nisi per D. Premonstratensem, Capitulum generale vel Patres Abbates. Declarantes omnes et singulos qui antehac prefata bona prelatorum decedentium malitiose retinuerint, sententia excommunicationis esse involutos nisi resipuerint et condignam satisfactionem propriis prelatis fecerint. Eisdem censuris subiiciendo qui consilium, auxilium aut favorem in tam execrandis excessibus perpetrandis prestiterint. Aliis nihilominus penis in statutis nostris contra tales sacrilegos contentis in suo vigore et robore permansuris cap. 29 dist. 4.

Quia igitur omnes Religiosi dempto uno post obitum Rdi. Dni. Wilhelmi sGreven, ultimi dum viveret (f. 207 r^o) Abbatis, predecessoris nostri, invaserunt et sibi partiti sunt omnem supellectilem et alia ad abbatiam spectantia; et quia mediante solemni iuramento super sancta Dei evangelia prestito, cogor bona essentia conservare, dispersa colligere, deperdita recuperare et collapsa restaurare: ideo monemus et exhortamur in Domino omnes et singulos fratres, ut quilibet absque tergiversatione ulla, absque ullo malo fuco, dolo et fraude, in charta ordine conscribat omnia et singula usque ad minimam particulam que ex mobilibus abbacie receperit et in proprios usus applicaverit: declarando secundum eorum notitiam in quo loco sint constituta, apud quem vel quos asserventur et que adhuc in esse sunt; non solum ea verumetiam omnia et singula distracta, tradita vel alienata, quibus, quove pretio, et hoc infra quindenam ab hac hora, sub pœna rebellionis et inobedientie (1).

Similiter omnes et singuli (maxime autem qui liberum accessum habuerunt) qui aliquam notitiam habent ornamentorum ecclesiasticorum, mystrarum, baculi pastoralis et aliorum *clenodiorum* que (uti per cathalogum certum in manibus nostris existens liquet) in duabus cistis conclusa fuerunt, ubi remanserunt, per quos, quibus, qualiter et quali pretio ea divendita sunt.

vestimenta tam lanea quam linea et in carta conscribent: ut liquido

Annotabunt preterea singuli Religiosi omnem supellectilem, omnia vestimenta tam lanea quam linea et in carta conscribent: ut liquido constet quid cuique opus erit.

Et quia tam ante obitum quam post Rdi. Dni. Abbatis eodem fere tempore fuerunt duo Administratores, et post reductionem civitatis Antverpiensis fr. Emmericus Andreae electus et assumptus

1) Prelaat Greve overleed te Antwerpen op 25 September 1581. Over de omstandigheden van zijn dood alsmede over den roof in den tekst vermeld, cfr. E. Valvekens, *De Sint-Michielsabdij*, lc., jg. III, 1927, bl. 153.

fuit (f. 207 v^o) in administratorem qui industria et sollicitudine quorundam coactus fuit exactissimam rationem de omnibus receptis et sic dispensatis reddere ; quare necessarium est ac in virtute salutaris obedientie precipimus et mandamus ut predicti Administratores de suis receptis et dispensatis exactissimam reddant rationem : ut per eam constare possit utrum omnia et singula in rem et utilitatem monasterii sint dispensata.

Secundum Regule (ad quam observandam sub pœna peccati mortalis omnes Religiosi obligantur) et Statutorum prescripta Abbati suo in omnibus perfecte obedire et reverentiam exhibere tenentur omnes Religiosi, neque preter suam voluntatem quicquam audeant aut presumant facere. Uti patet capitulo primo dist. 2a Statutorum ubi sic habetur : Abbas postquam electus et confirmatus fuerit, de cetero in reverentia habeatur ab omnibus. Ita ut quilibet eum transiens ei inclinet. In quocumque loco fratres aliqui sederint, si Abbas supervenerit, assurgere debent, nec sedere donec ipse sedeat vel eos sedere moneat. Si autem transierit coram eis, assurgere debent et inclinare : et stantes permanere donec transierit. In Capitulo per medium conventum transeunti assurgere debent et inclinare et stare donec sedeat. Quicumque sibi sedenti librum vel tale aliquid obtulerit, inclinare debet. Observare etiam debent omnes ut, maxime coram eo, in omni habitu suo et moribus disciplinate se habeant.

Et omnia, que non continentur statutis ordinis, in dispositione sint abbatis : hoc salvo quod in levibus poterit ex iusta causa dispensare : exceptis illis que specialiter pertinent ad D. Premonstratensem per privilegia et statuta.

Quia etiam decretum est quod omnes tam sacerdotes quam iuniores in conciones per vices exerceanter si non in templo saltem in capitulo feriis sextis post collationem ; si qui tamen sacerdotes sint ad concionandum publice in templo (f. 208 r^o) idonei, et qui episcopo iuxta Conc. Trid. sess. 4 cap. 2 de reformatione, presentati fuerint, hortamur ut etiam publice in ecclesia diebus dominicis concionentur.

Et quia iuxta decreta Statutorum Religiosi quotidie in continuo exercitio tenebuntur in laboribus, lectionibus et divinis otis ne otio torperent, nam otia dant vitia : pariformiter hortor in Domino velint se religiosi dare continuis studiis, ut hoc modo sese idoneos reddant concionibus faciendis. Maxime vero illi quibus cura animarum incumbit et qui libenter succedente tempore ad eam cupiunt promoveri. Tempus autem quo he conciones incipientur erit dies cinerum proxime venturus : ut interim sese preparant.

Haec omnia suprascripta in virtute sancte obedientie mandamus et precipimus ab omnibus Religiosis huius monasterii et societatis observari: et observatores vos omnes confidimus, alioquin contra transgressores rigide secundum statutorum prescriptum procedere cogemur. Et ne quis de fide constitutionum harum dubitet, iisdem propria manu subscripsimus Anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo octavo die octavo Januarii.

frater Emmericus Andreae
abbas Sancti Michaelis Antverpiensis.

* * *

SECUNDA ADMONITIO ET RECAPITULATIO ARTICULORUM PROPOSITORUM. 28 MAART 1588.

Fratres mei, omnibus vobis constat qualiter die octavo mensis Januarii ultimate elapso vobis proposuimus quosdam articulos pro restauratione collapse Monasterii discipline necessario observandos uti per relictum patet: quos tamen satis parum curare videmini cum tamen undecim menses intercesserint, quedam observatis, quedam vero non ²⁾).

Imprimis de horis tam diurnis quam nocturnis etiam de Domina quam tempore persolvendis, a quibus se nemo Religiosorum omnium absentare potest, etiam celebraturus matutinalem missam que post decantationem hore prime fieri solebat: verum ea ordinatio non placuit vobis ex quo contrarium facitis.

Martyrologium et cetera in medio Capituli ante pulpitem sunt persolvenda; textus Regule in septem capita distinguendus uti singulis septimanis semel totaliter persolvatur, ne per oblivionem aliquid illius negligatur.

Omnes religiosi eque bene obligantur ad legendas commendationes post decantationem hore prime sicuti ad legendas vigilias mortuorum: quare easdem de cetero more solito observabitis.

Singulis feriis sextis ante decantationem hore prime ab omnibus disciplina est ferenda.

Silentium temporibus et locis in statutis expressis observari preceptum est: obambulationes in templo omnino interdicte.

Nullus etiam presumat ad abbatis partem venire aut claustrum exire nisi causa prandendi vel coenandi: et (f. 209 r^o) tunc omnes non particulatim sed unanimiter et simul, presidenti conventus prae-

2) De kopij schrijft klaar: *undecim menses*. Het is zeker foutief, zooals blijkt uit de datatie van beide admonitiones.